Lane Medical Library

DE

DIABETE MELLITO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE IV. M. AUGUSTI A. MDCCCLVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HENRICUS BROCK

POSNANIENSIS.

OPPONENTIBUS:

P. BERNSTEIN, MED. ET CHIR. DR.

H. HOYER, MED. ET CHIR. DD.

D. NAST, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

Duke Medical Library

PARENTIBUS

OPTIMIS DILECTISSIMIS

NEC NON

HERMANNO JACOBI

AMICISSIMO CARISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Ex quo tempore in variis morbis excreta quoque accuratius explorantur atque chemice perquiruntur, diabetes mellitus saepius inventus est, quam priores existimabant. Nomen „diabetes“, a graecis vocibus *διὰ* et *βαίνω* deductum, si ad etymologiam respicimus, acceleratum denotat transitum, quia verbum *διαβαίνω* nihil aliud significat, quam „cito transeo“. Quod si diligentius intuemur, dubitare non possumus, medicos veteres huncce morbum diabeten nominasse propter citam urinae profusionem, quae ad diabetae gravissima symptomata est referenda, etsi nonnumquam accidit, ut urinae excretio non solum non aucta, verum etiam imminuta sit. Jamjam Galenus et Celsus diabeten observarunt; postea autem memoria hujus morbi deleta est, donec Thomas Willis

saccharum in urina detexit atque ita animos medicorum ad diabeten denuo advertit. Tum Morton, Cullen, Home, Rollo, P. Frank, v. Stosch, Frerichs, Vogel, multi alii huic morbo cognoscendo plurimum operae impenderunt. Priusquam ad morbi ipsius descriptionem transeam, pauca praemittere liceat. Quum enim gravissimum diabetae signum in eo cernatur, quod magna sacchari copia per urinam immensa quantitate editam eliminetur, non alienum esse videtur inquirere, quo loco et quibus ex rebus saccharum in corpore humano conficiatur, cur illa sacchari excretio sit abnormis et organismum morbo affectum significet. — Jam diu constabat, saccharum in stomacho ac quidem ex amylo parari, quod multis inest alimentis. Res ita se habet. Amylum alimentorum in oris cavo cum secretis glandularum salivalium, ad quas referendae sunt gl. parotis, submaxillaris, sublingualis omnesque glandulae, quae in membrana pituitaria linguae sedem habent, arctissime miscetur, quo facto amylum in saccharum transformatur, quum hanc salivae vim esse inter omnes constet. Quae transmutatio, quum multum temporis requirat ac bolus per breve tantum in ore

persistat, in stomacho continuatur, ubi vis salivae succo gastrico non tollitur. Praeterea recentiori demum tempore evidenter demonstratum est, succum pancreaticum multo majorem vim amylum in saccharum vertendi habere, quam succum gastricum, qua re explicari potest, cur animalia herbivora multo majus pancreas habeant, quam carnivora. Attamen Lehmann suo jure docuit, vim utriusque secreti non nimis magni aestimandam esse, quum in animalium herbivororum faecibus non exiguam amyli quantitatem inveniamus. Quod ex amylo paratum saccharum aut in stomacho aut in intestino tenui in formam sacchari uvarum redigitur, cujus formula haec est: $C^{12} H^{12} O^{12} + 2 HO$. Hac immutatione facta, saccharum per endosmosin atque exosmosin recta via in venam portarum traducitur. Jamjam satis disceptavimus, quo modo ex nutrimentis amylaceis variorum secretorum actione saccharum paretur; nihilominus ea paratio parvi aestimanda est, quum Bernardus egregia sagacitate demonstraverit, saccharum in corpore ipso, ac quidem in hepate, multo largius confici. Ille enim vir illustrissimus primus invenit, sanguinem venarum hepatis habere

saccharum, quae res postea a plurimis auctoribus est probata, ita ut hodie nemo de ea dubitare possit. Permultis experimentis demonstratum est, parationem illius sacchari revera in hepate non solum hominis, sed etiam omnium fere animalium effici, neque pro sola accumulatione sacchari ex alimentis parati in illo organo esse habendam. Nam etsi animalia carne sola nutriebantur, tamen semper in hepate saccharum inveniebatur, qua re evidenter probatur, hepar esse sacchari officinam. Quae fabricatio continuo persistens inter digestionem valde augetur. Statu autem jejuno non major sacchari quantitas paratur ac per venas hepaticas in sanguinem traducitur, quam in itinere usque ad pulmones solvi potest, dum in arteriis sacchari vestigium detegere nequimus. Immo vero circiter quatuor ad septem horas post coenam in omnibus corporis vasis saccharum exsistit. Quod autem sacchari augmentum non ita excedit, ut in urinam aut in alia secreta transsudetur; quod si fieret, organismus morbo esset affectus. Hae omnes observationes mihi aptissimae esse videntur ad illustranda multa obscura in morbo, quem descripturi sumus; etiamsi

negare non possumus, permulta adhuc tenebris esse obfuscata. Jamjam supra adnotavimus, saccharum sive ex alimentis amylaceis sive in hepate paratum in sanguine quidem, sed numquam in variis secretis inveniri; qua ex re apparet, saccharum in sanguine solvi, id quod, ut Liebig tradit, oxydatione efficitur. Si vero variis ex causis illa solutio in sanguine impeditur, aut in hepate plus quam normali statu sacchari paratur, necessario, accumulatione in sanguine orta, saccharum in secreta, praecipue in urinam, traducitur. Quibus vero rebus illa accumulatio exsistat, a variis auctoribus varie explicatur. Longum est, omnes hypotheses enumerare, quae de ea re propositae sunt; quapropter id tantummodo commemoremus, quod experimentis a Bernardo factis elucet. Is enim detexit, fundo ventriculi cerebri quarti cuniculi inter radices nervi vagi et hypoglossi inciso, in urina et sanguine animalis saccharum inveniri. Persecto quoque nervo vago Bernardus idem invenit. Recentiori autem tempore ille auctor nervum vagum non participem esse parationis sacchari in hepate confecti simulque incisione medii tantum ventriculi quarti inter radices nervi vagi et acustici

facta urinam saccharo opulentissimam nasci, incisione autem sive ante sive post illum locum facta, polyuriam simplicem sine saccharo oriri comperit. Utcunque vero res se habet, id quidem ex illis experimentis apparet, saccharum in urina inventum pendere a nervorum systemate.

SYMPTOMATA.

Stadium prodromorum, quod ut plurimum brevi tempore antecedit excretionem urinae saccharatae ac plerumque ab aegrotis negligitur, insignitur dyspepsia, vomitu, siccitate oris, permagna imbecillitate. Deinde apparet urinae profusio, inter quam horror et frigus aegrotum offendunt, tanquam liquor frigidus a lumbis ad vesicam descendat, quibus adduntur ardor stomachi, calor intestinorum, diarrhoea, universa debilitas, cutis sicca et squamosa, interdum porrigo; sed cum his ab exordio inde febrem lentam, quae sensim postea in febrem hecticam transit, et sitim adauctam, praecipue noctu, judicare possumus symptomata constantia. Imminutum coëundi desiderium, oedema pedum et praeputii, amblyopia, amaurosis saepissime observantur. Praeterea quatuor symptomata exstant, in diabete mellito num-

quam deficientia, quibus hic morbus facillime cognoscitur. Quae phaenomena sunt magna, insatiabilis fames; macies, quae paullo post nascitur; tanta urinae excretio, ut copiam ingestorum plerumque superet; denique saccharum in urina, quod criterium diabetae melliti characteristicum est. Interdum sub finem accedunt spasmi, paralyses, hallucinationes. Morbus finitur marasmo, phthisi, hydrope, apoplexia; rarissime in valetudinem exit. Haec sunt, ut paucis dicam, symptomata diabetae melliti, quae nunc accuratius perlustraturi sumus.

URINAE QUANTITAS.

Plerumque apud diabeticos urinae excretae quantitas summopere est aucta. Morgagni (de sedibus et causis morb. Epist. X. L. I. VII.) aegroti mentionem fecit, qui per viginti quatuor horas LII. libr. urinae atque summatim per nonaginta tres dies 3674 libr. excrevit. Similia tradidit Petrus Frank. Fonseca aegrotum se observasse narrat, qui uno die CCVIII libr. urinae ediderit, ita ut homo cruciatus die noctuque nihil aliud agere potuerit, quam bibere et urinam excernere. Triginta diabeticorum urinae editae copia inter VII et LXIII libr. per horas XXIV fluctuavit. Saepissime inter urinae excretae et po-

tionis haustae quantitatem proportio quaedam exstat, etiamsi non est infitiandum, urinam nonnumquam valde superari potionibus sumtis. In rarioribus casibus adeo potu ingesto minor urinae quantitas excernitur. In diabete decipiente urinae quantitas persaepe non aucta est, quamvis exploratio chemica saccharum in ea demonstrat; exeunte quoque morbo polyuria non magni momenti est.

URINAE QUALITAS.

Analysis urinae normalis chemica, a Lehmann instituta, ita se habet:

In 1000 grammatis urinae fuerunt:

Solidarum substantiarum	67,82	gramm.
Ureae	32,50	„
Acidi urici	1,183	„
Acidi lactici et salium	2,257	„
Principii extractivi	10,489	„

Analysis urinae diabeticae Bouchardato auctore haec praebuit.

In 1000 grammatis urinae fuerunt:

Solidarum substantiarum	164,54	gramm.
Sacchari	134,42	„
Ureae	8,27	„
Pituitae	0,24	„

Acidi lactici Ammonii lactici Principii extractivi in aqua solubilis	6,38
Principii extractivi in aqua non solubilis	5,27
Salium	8,09
Aquae	835,55

Quibus igitur rebus differt urina normalis a diabetica?

Substantiarum solidarum quantitas in urina diabetica multo est major, quam in normali, qua re pondus auctum specificum explicari potest. Quum intra horas XXIV per urinam normalem ℥ijβ solidarum substantiarum excernantur, in diabete earum quantitas ad ℥xx—xxxvj augetur, ita ut illae saepe pondus per idem tempus sumptorum alimentorum solidorum superent. Rarissime pondus urinae diabeticae specificum, praesertim morbo incipiente, non solum non auctum, quin etiam imminutum est.

Inter elementa abnormia, quae in urina diabetica inveniuntur, maxime nominanda sunt albumen et saccharum.

Albumen, cujus quantitas raro permagna est, praecipue in ultimo morbi stadio invenitur ac tum plerumque pendet ab albuminuria, quae ad diabeten accessit. Quapropter Prout aliique jure contende-

runt, albumen sub morbi finem apparens ominosum esse symptoma. Albuminis quantitate aucta, sacchari multitudinem in urina decrescere, nonnulli auctores tradunt. Saccharum sub uvarum sacchari forma numquam in diabete mellito desideratur; sed ejus quantitas apud varios aegrotos variat. Ultimis morbi diebus saccharum plane fere ex urina evanescit, neque minus victus animalis decrementum sacchari efficit. — Hisce methodis sacchari quantitatem, quae inest in urina, cognoscere ac definire possumus.

Ex pondere specifico sacchari copiam determinare multi conantur, sed ea exploratio valde incerta est. Bence Jones (Medical Times and Gazette die IV m. Febr. a. MDCCCLIV) hanc tabulam memoriae prodidit, quae fidem illius methodi ambiguam satis arguit.

Urina 1023 pond. spec. in unc. contin. 2,2 Grmm. sacch.
„ 1025 „ „ „ „ 2,1 „ „
„ 1026 „ „ „ „ 4,0 „ „
„ 1027 „ „ „ „ 2,3 „ „
„ 1027 „ „ „ „ 4,5 „ „
„ 1028 „ „ „ „ 14,5 „ „
„ 1029 „ „ „ „ 3,3 „ „
„ 1030 „ „ „ „ 3,6 „ „

Urina 1030 pond. spec. in unc. contin. 7,25 Grmm. sacch.

„ 1031 „ „ „ „ „ 14,5 „ „

Alia multo certior methodus saccharum detegendi ejusque quantitatem metiendi, Bioti polarisationis apparatu nobis suppeditatur, ubi luminis radii in urinam incidentes a recta via ad latus dextrum deflectuntur.

Ad sacchari quantitatem in urinâ computandam fermentatio medico satis sufficit; acidum carbonicum et ex eo sacchari quantitas aestimatur, fermentatione quantitatis urinae ponderatae eum ad finem in Fresenii apparatu ad 37° peracta, hoc modo acidum carbonicum e ponderis jactura aestimatur.

Ad minimas sacchari portinuculas in urina cognoscendas multae nobis patent viae.

Primum commemoranda est methodus Mitscherlich-Trommeriana, qua, parva kali caustici et cupri sulphurici quantitate liquori eruendo addita, caerulea solutio exoritur, quae paullatim flavam praecipitationem cupri oxydulati demittit; praecipitatio, si solutionem illam coquimus, valde acceleratur. Quod experimentum ad practicum medici usum aptissimum est neque, quod ad exactitudinem attinet, nobis non satisfacit, his solis cautelis haud neglectis: Si forte, kali caustico liquori addito, praecipitatio

permagna oriatur, filtretur, tum cupri sulphurici oxydati solutio diluta et paullatim addatur.

Experimentum Pettenkoferi hoc est: bile bovina nec non acido sulphurico concentrato liquori eruendo additis, violaceus color exsistit.

Maumenéi methodus subtilissima est: lacinia albae, quae Merino vocatur, telae stanni muriatici oxydati solutione imbuta, tum arefacta et diabetica urina humectata, denique supra flammam calefacta, cito nigris maculis tingitur.

Praeter has methodos saccharum in urina detegendi multae aliae memoriae proditae sunt, tamen omnes incertae.

Quamquam supra diximus, saccharum in urina inventum praestantissimum esse diabetae melliti symptoma, tamen eo solo diagnosin illius morbi fulcire non possumus, quum in aliis quoque morbis nonnumquam saccharum in urina reperiatur, testibus Prout et Lehmann in dyspepsia et arthritide, Budge in morbis abdominis et hypochondriorum. Intra quattuor dies etiam apud puerperam, cujus lactis secretio defecit, Lehmanno auctore saccharum in urina inventum est.

Urea nec non acidum uricum plerumque in diabete mellito imminuta sunt.

Urina hoc in morbo modo clara, modo pallida, modo lactea, modo serosa, modo jumentosa, sed plerumque, quamquam pondus specificum valde est auctum, clara seu pallida, dulci et foeno simili odore atque sapore excellit. Urinam hancce in fermentationem spirituosam transire posse, observationes omnium medicorum confirmant.

ORGANA SEXUALIA.

Jam ab ineunte morbo desiderium coëundi deficit, etiamsi aegrotus antea Veneri maxime indulgebat. Viri erectionibus penis carent, persaepe testes, penis, scrotum tabescunt; pollutiones involuntariae accedunt. Si morbus ad sanationem vergit, potentia virilis plerumque revertitur, quamquam simul cum redeunte potentia interdum morbi incrementum observatur. Interdum copiosa secretio massae caseosae in glandis superficie, quae excoriatur et sauciatur, apparet. Praeputium intumescere, phimosin quandam exsistere, haud raro observamus. Quo multae adhuc sensationes subjectivae, dolores etc. accedunt, quae ab exstincta sexualium organorum functione pendent. Apud feminas menses a morbi exordiis cessant, vel parci vel serosi fiunt.

Plurimorum diabeticorum dentes vel omnes vel

nonnulli carie tentantur ac delentur, ita ut raro diabeticus inveniatur, cujus dentes plane sint boni. Cujus rei causam in eo positam esse nonnulli auctores censent, quod in aegrotorum saliva saccharum uricum vel uvarum exstet, quod dentium salia solvat. Quam opinionem plane falsam judicari oportet. Nulla enim sacchari species, ut satis demonstratum est, eam vim habet, ut dentium substantiam solvat; sani enim animalium dentes per menses in meris sacchari solutionibus positi ne minima quidem destructionis vestigia praebent. Quare Falck ejus rei causam in libero salivae acido lactico ponendam esse putat.

Dyspepsiam, ructus acidos, anorexiam, quae per intervalla exsistit et cum tanta fame et siti alternat, ut diabetici fere constanter, praecipue si regiminis ordo ac regula absit, magnam ciborum atque potionum quantitatem sumant, in hoc morbo numquam desiderari, jamjam commemoravimus.

SIGNA ANATOMICA.

Renes sunt emolliti atque atrophici, eorum tunica aliquanto crassior; in pulmonibus plerumque tubercula inveniuntur. De Stosch reperit magnam systematis lymphatici evolutionem, ventriculum valde am-

plificatum, deficientem odorem cadaverosum, Hydropem arachnoideae ex hocce morbo ortum; in casu alio idem invenit et organa chylopoëtica et ventriculum et intestina sanguine impleta. In Diabete adesse commutationes systematis nervorum, experimenta a Bernardo facta arguunt, sed commutationes ipsas cognoscere nequimus.

AETIOLOGIA.

Non parvi momenti hoc loco sunt eae caussae, quae ansam huic morbo primariam suppeditant, et res illae, quibus hoc malum in conspectu frequentissime ponitur. Primum consideremus caussas internas, sexum et aetatem, tum caussas externas.

Quod igitur ad sexum attinet, dubitare nequimus, quin praedispositio sexui virili magis quam muliebri sit propria. Hoc malum plerumque hominem a pubertate usque ad tricesimum vitae annum adgreditur, rarius post involutionem. Sydenhamus „nonnumquam, inquit, accidit, etsi perquam raro, ut senes, qui diu febri intermittente antea laborarunt, ac venaesectionibus et catharticis imperite fuerunt mulctati, in Diabeten incidant, etiam febri jam perfecte fugata.“ Porro non solum Arthritidis, sed etiam Rheumatismorum, Exanthematum, Inter-

mittentium metastasis, quae plurimis aliis morbis persaepe ansam praebet, dein Hysteria Hypochondriasisque in momentis caussalibus internis Diabetae haberi possunt. Nonnulli Diabeten saepissime exortum ex immodico fructu ciborum vegetabilium viderunt. Creberrime Diabeten cernimus apud eos homines, qui onania et coïtus abusu partes genitales lacessiverunt atque debilitarunt.

Caussae externae, quae frequenter una cum caussis internis Diabeten proferunt, hae sunt: nocet praecipue abusus medicamentorum, quae appellamus diuretica, nec minus abusus et cerevisiae et vini, uti abusus omnium acidularum potionum. Boerhaavius etiam vidit nasci huncce morbum apud juvenem, qui dies noctesque in studia incumbebat et somnum arcebat perpetuo theae et coffeae potu. Secundum Stoschii observationes in externis caussis ponere possumus subitam temperaturae commutationem. Quam ob rem madefacta et refrigerata corpora huic morbo sunt obnoxia. Quantopere hae injuriae ipsae noceant, experientia docet, quippe quae nobis ostendat, his causis hepatis viscerumque debilitatem et renum laxitatem et atoniam creberrime exoriri; denique huncce morbum maxime emergere in regionibus borealibus, hic commemorare haud ineptum mihi videtur.

Burserius, caussam non unam esse posse recte adnotans, dictis caussis addit remotiores, quae observationibus celeberrimorum virorum nituntur atque hae sunt: „remotae caussae potus aquosi, calidi, copia nimia et diu assumti, nimius aquae thermalis potus, imprimis valide urinam cientis, vita nimis exercitata, aut otiosa nimis, Veneris abusus, venena acria, mercurialium et resolventium usus diuturnus, humidi aëris constitutiones, renum morbi, abscessus, calculi, metastasis arthritidis, magna nervorum irritatio, hepatis lienisque obstructiones, morbi acuti aut chronici praegressi, quibus adduntur ab aliis primarum viarum saburra, digestio vitiata, aliaeque similes caussae.“

In remotarum caussarum numero haberi possunt insuper nimia animi contentio, porro deprimentes animi affectus, sollicitudines, vitia cerebri organica.

DIAGNOSIS.

E symptomatibus, quae supra retulimus, diagnosis est enucleanda. Momenta maxima attentione digna, ne longus sim, haecce esse videntur:

1. Urinae profusio, quae nusquam alibi reperitur tam larga, ut copiam ingestorum potulentorum superet.

2. Mel seu saccharum, quod in urina diabeticorum semper inest.
3. Continua sitis et magna fames.
4. Universi corporis macies extrema.

Quandoque Diabeten confundere possumus cum illa urinae profusione, quam videmus apud homines Hydrope, Hysteria, Febribus, Rheumatismo, morbo Brightii laborantes; quos quidem morbos accuratius considerantes, nec tabem seu maciem universi corporis permagnam, nec excretionem urinae saccharum continentis tam largam videbimus, quam ob rem necesse erit, diagnosin falsam commutemus in diagnosin rectam, praesertim quum momenta illa quatuor nullo in morbo tam plena et exquisita, ut facile possint vera cum falsis confundi, reperiantur.

DECURSUS.

Diabetes decursum absolvit chronicum, sed facit paroxysmos, qui ut plurimum ab initio temporis aestivi usque ad ejusdem finem perdurant; ineunte enim tempore autumnali redeunt secretiones renum ad normam. A Petro Frank et de Stosch mentio injicitur Diabetae acuti, quod malum semper lethale esse dicitur; sed de hoc acuto morbo alii medici non loquuntur.

PROGNOSIS.

Prognosis dubia est, semper ad malam vergens, maxime lethalis. Si omnes caussas observationibus nitentes contemplationi submittimus diligentiori, omnes videntur positae hisce in momentis:

1. In prognosi constituenda praecipue stadium respiciendum est. Ineunte morbo, si promta adhibeatur medela, prognosin elucet multo esse meliorem, quam si malum ruat in stadium secundum, quod appellamus stadium formationis sacchari.
2. In urinae copia.
3. In sacchari, quod in urina inest, quantitate.
4. Quo major est macies corporis, eo minor vitae servandae spes.
5. Quod ad secretiones organorum reliquorum attinet, prognosis est pejor, si secretiones sunt imminutae.
6. Decrepitis organis sexualibus ex onania et coitus abusu, exitus plerumque lethalis imminet.
7. Si malum tempore pubertatis in conspectum venit, aegrotis persaepe auxilium afferre possunt medici; sin corripit infantes et senes, semper mortem iis infert.

8. Si malo jam provecto supervenit febris hectica aut hydrops, prognosis est pessima.

THERAPIA.

Omnia, quamquam hic morbus etiam scholis medicis haud ignotus erat, medicorum conamina usque ad hoc tempus instituta ad naturam ejus veram et curationem cognoscendam, fere erant frustranea. Rectissime scripsisse mihi jam videtur Petrus Frank de Diabetae cura: „nullibi plerumque medicina auxilii tam egena est, quam ubi majores remediorum divitias pro una eademque aegritudine possideri gloriantur theoretici; atque in ipso Diabete tam multa tamque contraria inter se auxilia laudata fuerunt, ut vel ex hac sola rationis medendi inconstantia plurimorum jam nimis manifestetur inertia.“ — Adhibita enim sunt maxime diversa medicamina, nimirum excitantia, roborantia, adstringentia, anodyna, sedantia, resolventia, lithontriptica, stomachica, diaphoretica, antiseptica, amara, cardiaca, digestiva, antispasmodica, demulcentia, antiphlogistica etc. etc. Curatio Diabetae non ad solam urinae secretionem coërcendam spectare debet, sed complures indicationes, quas morbus nobis offert, observandae sunt iisque est obtemperandum. Ante omnia id videndum

est, ut momentum praedisponens et proximae caussae, si adhuc exstant, tollantur. Aetiologia nobis aperuit, quot sint genera harum, de quibus diximus, caussarum proximarum, quibus exploratis idoneam medelam accommodandi, primum est medici officium. Tum demum ad ceteras graviores indicationes transire licet, ut cohibeatur sitis permagna, tabes massae organicae praepediatur atque urinae secretio adaucta restringatur.

Ad sitim Diabete laborantium sedandum diversissimi potus, a gallicis praecipue anglicisque medicis sunt commendati. Aqua saccharata in Diabete prorsus adhibenda non est, quum inde saccharum urinae augeatur. Prout et alii praeceperunt cerevisiam eam, quam Porter vocant, alii potum e fabis coffeae tostis, alii denique aquam cum vino subacido mixtam, quae quidem ultima medicamina adeo sunt probata tamque bona reperta, ut ubique in Diabete adhibenda esse videantur.

Tabes massae organicae a defectu nitrogenii in organismo proficiscitur. Itaque diaeta carnea ab omnibus fere medicis commendata, quum praeter adipem plurimae partes animales plus minusve nitrogenii contineant, hic certo commode adhibetur, tum etiam omnia ea nutrimenta, quae majorem nitrogenii

copiam habent; omnia vero, quae sacchari in sanguine et urina copiam augere possint, nempe plurimam vegetabilium partem, excludi oportet. Nonnulli ne minimam quidem vegetabilis victus partem sustinent, et completum ciborum indicem constituunt, qui animalia seu azotica tantum alimenta continet, quo regimine stricte servato egregios eventus impetratos esse tradunt. Pro jentaculo aegrotus lac, cui tertia pars aquae calcariae addatur, vel fortius infusum theae sinensis cum jusculo sumat, pro prandio pisces, farcimen, butyrum, caseum cum parco pane triticeo comedat. Etiam pro coena azotica tantum alimenta laudantur, omnino caro adiposa et rancida etc. Multae vero observationes demonstrant, rarissime aegrotos servando victui tam strenuo esse pares. Equidem puto, victum Diabeticorum praecipue quidem attamen haud absolute alimenta animalia amplecti, ita ut vegetabilia plane abjicantur, huic enim regimini aegroti ipsi magis pares erunt, quam si ad solum victum animalem compelluntur.

Omnium autem gravissima indicatio in eo est, at comminuatur urinae secretio. Quot medicamenta ad hunc finem a medicis antiquioribus laudata sint, apud Burserium et G. A. Richter de Diab. cur. legimus. A nonnullis Creosotum est commendatum,

quod quidem salutare foret medicamentum, dummodo non Hydrops inde exoriretur. Per simplicem methodum curativam consilium nostrum exsequi non possumus, quum enim renum et systematis nervorum functiones sint commutatae, has antea ad normam oportet reducere et quidem per methodum sedativam. Hic imprimis Narcotica laudata cumque eventu prospero adhibita sunt. Nominatim Opium cum tinct. Theb., tum pulv. Doweri hisce temporibus tantam celebritatem obtinuit, ut inter saluberrima Diabetae remedia referatur. Memoratu quidem dignum est, tantum abesse, ut Opium aut obstructiones inducat aut vim ullam exserat in systema nervorum, ut dosibus majoribus augeantur alvi excretiones. Ut sensibilitas renum et systematis nervorum ad normam revocetur, praeter Opium cum regioni renali tum abdomini infricari convenit Oleum Belladonnae et Unguenta Narcotica. — At sola methodo sedativa id non efficimus, ut secretionem renum coerceamus, quare etiam antagonismo alia organa, quorum functiones Diabete torpescunt, ad normam reduci necesse est. Duo potissimum sunt organa, quae magnam vim in renum functiones exserunt, nimirum cutis et canalis intestinalis. Ad prioris functionem excitandam non solum balnea calida, quae per se

nihil prosunt, vel balnea calida cum herbis emollientibus, vel balnea vaporosa adhibenda sunt, verum etiam talia medicamenta interna praescribenda, quae his balneis succurrant. Quod consilium partim jam consequemur pulvere Doweri, partim praeparatis Ammonii.

Ad canalem intestinalem excitandum, si forte Opium non satis auxerit excretiones, Drastica, non Salia administranda sunt, quum haec nimiam in diuresin vim exserant; Jalapa igitur, Senna, Rheum, alia.

Postquam igitur et functiones horum duorum organorum restitutae sunt et sensibilitas renum systematisque nervorum hebefacta est, demum ad debitam urinae secretionis moderationem transire licet. Haec autem non Alumine, Ferro muriatico, similibus efficitur, sed tinctura Cantharidum, quae ad hunc finem ab antiquioribus et recentioribus medicis commendata, paullatim ad guttas XX, imo majoribus etiam dosibus, per diem dabatur. Schoenlein orditur perparvis dosibus cum largo vehiculo mucilaginoso, ne vis exseratur in organa, quae prima tanguntur. Hae doses paullatim et caute adaugentur, ut, si forte Enteritis vel Stranguria, quae remedii per longius tempus porrecti usu oriri solet, apparuerit, medicamentum statim possit seponi. — Quum malum de-

cursum chronicum plerumque habeat, usum hujus medicamenti non nimis accelerare debemus. Signa decrescentis morbi eodem fere ordine se excipiunt, quo ineuntis crescentisque gradatim apparuerunt. Primum nempe sitis et saccharum in urina paullatim deminuuntur, et superest tantummodo polyuria; tum post longum tempus ipsa urinae secretio adaucta desinit, donec renum functio ad normam revertitur.

VITA.

Ego Henricus Brock Brombergae, oppido Posnaniensi, patre Jacobo, matre Carolina e gente Hirsch, quos parentes sors benigna adhuc mihi servavit et utinam servet in posterum, natus et fidei veteri sum addictus. Primis literarum elementis imbutus gymnasium regium Brombergense adii, quod etiamnunc Deinhardtio directore floret. Quo in gymnasio scholas virorum clarissimorum Deinhardtii, Kretschmari, Bredae, Fechneri, Kruegeri, Schoenbeckii, Heffteri, aliorum frequentavi, quibus omnibus, maxime Deinhardtio et beato Kretschmaro, gratum semper servabo animum. Testi-

monio maturitatis instructus civibus academicis in alma literarum universitate Friderica Guilelma ab Ill. Encke, rectore magnifico, adscriptus apud Ill. Mitscherlich, ordinis medicorum decanum spectabilem, nomen professus sum. Per quadriennium hisce scholis interfui:

Ill. Mitscherlich de chemia; Ill. Magnus de physice; Ill. Dove de meteorologia, de optice; Ill. Weifs de mineralogia; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Braun de botanice; Cel. Michelet de logice; Cel. George de psychologia; Ill. Schultz de encyclopaedia; Ill. Mueller de anatomia humana atque organorum sensuum, de anatomia comparata, de physiologia; Ill. Schlemm de syndesmologia; Ill. Mitscherlich de materia medica et medicamentis excitantibus; Exp. Henoch de pathologia speciali; Cel. Busch de chirurgia; Ill. Juengken de laesionibus corporis humani; Ill. Langenbeck de akiurgia et operationibus in cadavere rite instituendis; Exp. Traube de auscultatione et percussione; Exp. Hecker de arte obstetricia; Exp. Ebert de morbis infantium; Exp. v. Baerensprung de morbis syphiliticis et cutaneis; Exp. Gurlt de arte fascias applicandi; Ill. Casper de medicina forensi; Exp. Billroth de anatomia microscopica; Ill. Virchow de anatomia pathologica.

Praeterea artem cadaverum rite secandorum Ill. Mueller et Ill. Schlemm me docuerunt.

In clinicis exercitationibus chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Langenbeck, in cl. exercitationibus medicis Ill. Schoenlein, Cel. Wolff, Exp. Ebert, Cel. Leubuscher, Exp. Traube; in cl. exercitationibus obstetriciis Ill. Busch duces moderatoresque mihi fuerunt.

Quibus omnibus viris illustrissimis celeberrimisque, maxime de me meritis, summas ago gratias, pia grataque mente semper servaturus eorum memoriam.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum ordine superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Hypochondria non est Hysteria virilis.
2. Venaesectio in pneumoniae curatione haud rejicienda.
3. Labii fissi congeniti operatio intra primas vitae XXIV horas est instituenda.